



|                      |               |             |      |
|----------------------|---------------|-------------|------|
| <b>CS-3.1</b>        | <b>1A</b>     | <b>Año:</b> | 2023 |
| <b>Especialidad:</b> | 590 003 Latín |             |      |

|               |  |                |            |
|---------------|--|----------------|------------|
| <b>Prueba</b> | Prueba 1A / Primera parte del Ejercicio en caso de Acc 3-4 y 5 | <b>Acceso:</b> | <b>1-2</b> |
|---------------|--|----------------|------------|

1  
 Plinio el Joven, *Epistularum Libri decem*, VII 27 5-7  
 [5] Erat Athēnīs spatiōsa et capāx domus sed infāmis et pestilēns. Per silentium noctis sonus ferrī, et sī attenderēs ācrius, strepitus vinculōrum longius prīmō, deinde ē proximō reddēbātur: mox appārebat idōlon, senex maciē et squālōre confectus, prōmissā barbā horrentī capillō; crūribus compedēs, manibus catēnās gerēbat quatiēbatque. [6] Inde inhabitantibus trīstēs dīraeque noctēs per metum vigilābantur; vigiliam morbus et crēscēte formīdine mors sequēbātur. Nam interdiū quoque, quamquam abscesserat imāgō, memoria imāginis oculīs inerrābat, longiorque causīs timōris timor erat. Dēserta inde et damnāta sōlitūdine domus tōtaque illī mōnstrō relicta; prōscribēbātur tamen, seu quis emere seu quis condūcere ignārus tantī malī vellet. [7] Venit Athēnās philosophus Athenodōrus, legit titulum auditōque pretiō, quia suspecta vilitās, percūctātus omnia docētur ac nihilō minus, immō tantō magis condūcit. Ubi coepit advesperāscere, iubet sternī sibi in prīmā domūs parte, poscit pugillārēs stilum lūmen, suōs omnēs in interiōra dīmittit; ipse ad scribendum animum oculōs manum intendit, nē vacua mēns audīta simulācra et inānēs sibi metūs fingeret.

2  
 Julio César, *Commentariorum Libri III De Bello Civili*, I 43-44  
 [43] Erat inter oppidum Ilerdam et proximum collem, ubi castra Petrēius atque Afrānius habēbant, plānitiēs circiter passuum CCC, atque in hōc fere mediō spatiō tumulus erat paulō editior; quem si occupāvisset Caesar et communisset, ab oppidō et ponte et commeātū omnī, quem in oppidum contulerant, sē interclūsūrum adversāriōs cōnfidēbat. Hoc sperans legiōnēs III ex castrīs edūcit acieque in locīs idōneīs instructā ūnius legiōnis antesignānōs prōcurrere atque eum tumulum occupāre iubet. Quā rē cognitā celeriter quae in statiōne prō castrīs erant Afranīī cohortes breviorē itinere ad eundem occupandum locum mittuntur. Contenditur proeliō, et quod prius in tumulum Afrānianī venerant, nostrī repelluntur atque aliīs submissīs subsidiīs terga vertere sēque ad signa legiōnum recipere coguntur.  
 [44] Genus erat pugnae militum illōrum, ut magnō impetū prīmō prōcurrerent, audācter locum caperent, ordinēs suōs nōn magnopere servārent, rarī dispersīque pugnārent; sī premerentur, pedem referre et locō excedere nōn turpe existimārent cum Lusitānīs reliquīsque barbarīs barbarō genere quōdam pugnae assuēfactī; quod fere fit, quibus quisque in locīs miles inveterāverit, ut multum eārum regiōnum cōnsuētūdine moveātur. Haec tum ratiō nostrōs perturbāvit insuētōs huius generis pugnae: circumīrī enim sēsē ab apertō latere prōcurrentibus singulīs arbitrābantur; ipsī autem suōs ordinēs servāre neque ab signīs discedere neque sine gravī causā eum locum, quem cēperant, dīmittī cēnsuerant oportēre. Itaque perturbātīs antesignānīs legiō, quae in eō cornū cōnstiterat, locum nōn tenuit atque in proximum collem sēsē recēpit.



|                      |               |             |      |
|----------------------|---------------|-------------|------|
| <b>CS-3.1</b>        | <b>1A</b>     | <b>Año:</b> | 2023 |
| <b>Especialidad:</b> | 590 003 Latín |             |      |

|               |  |                |            |
|---------------|--|----------------|------------|
| <b>Prueba</b> | Prueba 1A / Primera parte del Ejercicio en caso de Acc 3-4 y 5 | <b>Acceso:</b> | <b>1-2</b> |
|---------------|--|----------------|------------|

1  
Cornelia, *Ad Gaium filium*, en Nepote, *De viris illustribus*.  
Verbis conceptis deierare ausim, praeterquam qui Tiberium Gracchum necarunt, neminem inimicum tantum molestiae tantumque laboris, quantum te ob has res, mihi tradidisse; quem oportebat omnium eorum, quos antehac habui liberos, partis eorum tolerare atque curare, ut quam minimum sollicitudinis in senecta haberem, utique quaecumque ageres, ea velles maxime mihi placere, atque uti nefas haberes rerum maiorum adversum meam sententiam quicquam facere, praesertim mihi, cui parva pars vitae restat. ne id quidem tam breve spatium potest opitulari, quin et mihi adversere et rem publicam profliges? denique quae pausa erit? ecquando desinet familia nostra insanire? ecquando modus ei rei haberi poterit? ecquando desinemus et habentes et praebentes molestiis desistere? ecquando perpudescet miscenda atque perturbanda re publica? sed si omnino id fieri non potest, ubi ego mortua ero, petito tribunatum; per me facito quod lubebit, cum ego non sentiam. ubi mortua ero, parentabis mihi et invocabis deum parentem. in eo tempore non pudebit te eorum deum preces expetere, quos vivos atque praesentes relictos atque desertos habueris? ne ille sirit Iuppiter te ea perseverare, nec tibi tantam dementiam venire in animum. et si perseveras, vereor ne in omnem vitam tantum laboris culpa tua recipias, uti in nullo tempore tute tibi placere possis.

2  
Salustio, *Bellum Iugurthinum*, 28.  
At Iugurtha contra spem nuntio accepto, quippe cui Romae omnia venire in animo haeserat, filium et cum eo duos familiaris ad senatum legatos mittit iisque uti illis, quos Hiempsale interfecto miserat, praecipit, omnis mortalis pecunia aggrediantur. Qui postquam Romam adventabant, senatus a Bestia consultus est, placeretne legatos Iugurthae recipi moenibus, iique decrevere, nisi regnum ipsumque deditum venissent, uti in diebus proximis decem Italia decederent. Consul Numidis ex senatus decreto nuntiari iubet. Ita infectis rebus illi domum discedunt. Interim Calpurnius parato exercitu legat sibi homines nobilis factiosos, quorum auctoritate quae deliquisset munita fore sperabat. In quis fuit Scaurus, cuius de natura et habitu supra memorauimus. Nam in consule nostro multae bonaeque artes et animi et corporis erant, quas omnis avaritia praepediebat: patiens laborum, acri ingenio, satis providens, belli haud ignarus, firmissimus contra pericula et invidias. Sed legiones per Italiam Regium atque inde Siciliam, porro ex Sicilia in Africam transuetae. Igitur Calpurnius initio paratis com meatibus acriter Numidiam ingressus est, multosque mortalis et urbis aliquot pugnando cepit.



|                      |               |             |      |
|----------------------|---------------|-------------|------|
| <b>CS-3.1</b>        | <b>1A</b>     | <b>Año:</b> | 2023 |
| <b>Especialidad:</b> | 590 003 Latín |             |      |

|               |  |                |              |
|---------------|--|----------------|--------------|
| <b>Prueba</b> | Prueba 1A / Primera parte del Ejercicio en caso de Acc 3-4 y 5 | <b>Acceso:</b> | <b>Todos</b> |
|---------------|--|----------------|--------------|

1  
 Ovidio, *Metamorphoseon*, IV 787-804.  
 Addidit et longi non falsa pericula cursus,  
 quae freta, quas terras sub se vidisset ab alto  
 et quae iactatis tetigisset sidera pennis;  
 ante expectatum tacuit tamen. excipit unus  
 ex numero procerum quaerens, cur sola sororum  
 gesserit alternis inmixtos crinibus angues.  
 hospes ait: 'quoniam scitaris digna relatu,  
 accipe quaesiti causam. clarissima forma  
 multorumque fuit spes invidiosa procorum  
 illa, nec in tota conspectior ulla capillis  
 pars fuit: inveni, qui se vidisse referret.  
 hanc pelagi rector templo vitiasse Minervae  
 dicitur: aversa est et castos aegide vultus  
 nata Iovis texit, neve hoc inpune fuisset,  
 Gorgoneum crinem turpes mutavit in hydros.  
 nunc quoque, ut attonitos formidine terreat hostes,  
 pectore in adverso, quos fecit, sustinet angues.'

2  
 Virgilio, *Aeneis*, VI 450-471.  
 inter quas Phoenissa recens a vulnere Dido  
 errabat silva in magna; quam Troius heros  
 ut primum iuxta stetit agnovitque per umbras  
 obscuram, qualem primo qui surgere mense  
 aut videt aut vidisse putat per nubila lunam,  
 demisit lacrimas dulcique adfatus amore est:  
 'infelix Dido, verus mihi nuntius ergo  
 venerat exstinctam ferroque extrema secutam?  
 funeris heu tibi causa fui? per sidera iuro,  
 per superos et si qua fides tellure sub ima est,  
 inuitus, regina, tuo de litore cessi.  
 sed me iussa deum, quae nunc has ire per umbras,  
 per loca senta situ cogunt noctemque profundam,  
 imperiis egere suis; nec credere quivi  
 hunc tantum tibi me discessu ferre dolorem.  
 siste gradum teque aspectu ne subtrahe nostro.  
 quem fugis? extremum fato quod te adloquor hoc est.'  
 talibus Aeneas ardentem et torva tuentem  
 lenibat dictis animum lacrimasque ciebat.  
 illa solo fixos oculos aversa tenebat  
 nec magis incepto vultum sermone movetur  
 quam si dura silex aut stet Marpesia cautes.